



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

§. 5. De laude Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

pugnant, ac in petendo auxilio non satis constanter perseverant; ad Deum cum præsumptione recurrunt, quasi ad primam petitionem exaudiri mereantur, superbiaque sua Deum contra se irritant, ut ab eo potius deserendi, quàm juvandi videantur: lapsus ergo ad eorum superbiam & negligentiam est referendus, de qua potius accusare se, quàm de Deo conqueri deberent. Ita sanctus Thomas, qui inter alia tardum ad orationem recursum condemnat.

20.
Qua si vincitur, sibi adscribat.

L. de Eccl. dogm. c. 6.

L. de nat. & gratia.

Egemus enim ad ea, quæ salutis nostræ sunt, rectè procuranda, ut monet S. Augustinus, divinis auxiliis, quæ non aliter quàm orando, obtinere possumus. Qui proinde alibi nos excitat, ad id, quod possumus, exequendum; & ad auxilium pro iis, quæ non possumus, flagitandum. Unde officio suo deesse censendus est, qui in similibus ad orationem animum non applicat. Quis enim negare audeat, hominem demonis impulsu jam in præcipitio lapsus proximi constitutum, si continuo opem de cælo non impleret, peccare graviter, & aut præsumptionis, quæ viribus suis nimium fudit, aut socordiæ, quæ ad Deum præsentem, & ad juvandum paratissimum non accurrit, labem contrahere? Similem ad orandum negligentiam cum aliis Doctoribus

gravis peccati damnat Suarez, Christusque ipse ad illam excutiendam, & ardentem, perseveranterque cælesti subsidium implorandum nos exemplo Amici pauperis tres panes postulantis, & Chananæ pro filia supplicantis hortatur Christus, qui sibi in perseverantia orationis, à qua vinci se patitur, multum placet. Ne ergo aut tædio, aut dissidentiâ, aut impatientiâ ab orando desiste, dabit Deus, quod petis, vel aliquid melius, ut ait S. Bernardus, perseverantiamque tuam duplici merito, fructuque coronabit.

§. 5.

De laude Dei.

Hortatur nos Psalmus, inquit Psalm. 134. 21. Laudamus te Domine. Augustinus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur nos ipse Dominus, ut laudemus Dominum. Quid justius? quid dignius? quid gratius? laudate servum Dominum, ut esse mereamini & filij. Si cogereis offerre taurum, aut hircum, aut arietem dignum Domino, & non inveniens fatageres, diceret Deo: Volui, & non habui: si linguam non haberes, & verba à te quæreret Deus, diceret etiam forte: Laudare non possum, quia linguam careo. Nunc verò, quia

cor

Psa. 55.
Psal. 88.

cor quærit, cor inspicit, & intus testis est, iudex, approbator, coronator; sufficit ut offeras voluntatem: corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis; & impletur illud; *Voluntariè sacrificabo tibi*: & illud aliud consequenter acquiritur: *Placebit Deo sacrificium illud laudis, super vitulum novellum cornua producentem, & ungulas*. Si placuit laus illa, quam Job in afflictione reddidit, Sicut placuit Domino, ita factum est, sit nomen Domini benedictum; hæc sunt gemmæ & divitiæ pauperis: ita sollicitè nos ad sinceram Dei laudationem Doctor hortatur: Sed & Deus sacrificium laudis, inquit, honorificabit me; & illiciter, quo ostendam illi salutare Dei. Quid ad nos ad laudandum Deum inflammandos excellentius dici potest, quam ut summa salutis nostræ in laude Dei collocetur? Audiamus Bellarminum de hoc inquirentem & respondentem. 1. Quia ut laus plena sit, & in conspectu Dei grata, inquit, à corde Deum amante proficiatur oportet, sitque æternæ beatitudinis inchoata quodammodo laudatio. 2. Quia si qui simpliciter orat, apud Deum mercedem acquirit, longè plus gratiæ is, qui eum laudat, sibi conciliabit. 3. Quia Dei laudatio animos nostros à terrâ in cælum

Psal. 49.
22,
Quia ab
hujus lau-
de illius
salus pen-
det.

sublevari, nosque choris immiscet Angelicis. 4. Quia laus ab amore gignitur; nec Deum laudares nisi amares; actum etiam justitiæ, gratiæ animi exerces; quia laus benefactoris est quædam beneficii compensatio. Concurrit etiam fides, & animi se humiliantis abjectio; hinc illa S Joannis Baptistæ demissio, quâ se dixit indignum qui corrigiam calciamenti in Christo solveret, in magnam Christi laudationem redundavit. S. etiam Augustinus super illud; *Laudate servi Dominum*, audacter pronuntiat servos: si non lauderint Dominum, superbos, ingratos, irreligiosos futuros.

Hugo de S. Victore, Cùm prolixas Dei laudationes in Psalmis legimus, tum ait cor nostrum dicere nobis admirando se amare, & amando admirari: atque hæc est beatorum æterna occupatio, qui eum, quem sempiternè amabunt, sempiternum etiam cum voluptate laudabunt; nulla erit defatigatio in laudando, quia nulla erit in amando; amor tranquillus & jucundus parem laudationem procreabit; atque inde nostra existet felicitas. Non enim laudares, inquit Augustinus, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes; amas & laudas æternum tuum bonum. *Laudate Dominum*, ait Vates Regius, *quia bonus est Dominus*. Breviter, inquit Augustinus,

L. de modo
orand.23.
Hæc occupatio
beatorum.

O o o o 3 stinus,

stinus, explicata est laus Domini Dei nostri: non invenies melius, quod de illo dicas, nisi quia bonus est Dominus: si tamen intelligas propriè bonum, à quo sunt cætera bona, omnia enim bona ipse fecit; ipse est bonus; quem nemo fecit: illo bono suo bonus est, non aliunde participato bono: ille à seipso bonus est non adherendo alteri bono: mihi autem adherere Deo bonum est; qui non eguit quo fieret bonus; sed eguerunt illo cætera ut fierent bona. Vultis audire, quàm singulariter ille sit bonus? Dominus interrogatus dixit: Nemo bonus, nisi solus unus Deus. Hanc singularitatem bonitatis divinæ & præterire breviter nolo, & commendare congruè non sufficio: metuo ne si hinc citò transiero, ego ingratus inveniar; item metuo ne hoc cum explicandum suscepero, sub tantâ Dominicæ laudis sarcinâ defatiger. Sic tamen fratres accipite me & laudantem, & non sufficientem, ut etiamsi non impletur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris devotio: approbet me ipse voluisse; ignoscat non implevisse. Ineffabili dulcedine teneri cum audio: Bonus Dominus: omnia alia bona dico cum suis nominibus; dico enim Cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum: ad Deum verò cum me refero, puto

nihil melius dicere; quàm Bonū: Bonum bona faciens. Sicuti est propriè, sic & bonus est propriè. Hactenus S. Augustinus qui hoc modò laudare Deum in magnis Dei beneficijs reponit, dum super illud: *Labia mea laudabunt te*, dicit: Non te laudarent labia mea: nisi me præcederet misericordia tua, dono tuo te laudo, per misericordiam tuam te laudo. Non enim possem laudare Deum, nisi mihi donaret laudare se posse.

Si verò quis quærat de quibus potissimum laudandus sit Deus, habet à Beatis in cælo degentibus Deumque in Apocalypsi laudantibus assignatam materiã. 1. Propter Essentiæ suæ, & Majestatis præstantiam; quâ omnis laudis principium, & finis constituitur, cujus comparatione nihil laude dignum existat, & cujus celsitudo, & excellentia omnem laudum copiam, & laudandi facultatem excedit.

2. Sapientiam, cui nihil incognitum, nihil absconditum, nihil impervium, quæ omnia disponit, ordinat, regit, & omnibus providet, quæ omnis sapientiæ fons est & origo, & cujus comparatione omnis sapientia, ignorantia est.

3. Potentiam, quâ omnia potest, cui nemo resistere valet, qui pro mensurâ & beneplacito rebus à se creatis aliquid posse largitur,

24.
Et magis
Dei bene-
ficiam.

Psalms. 64.

Cap. 7.

25.
Laudis di-
vinæ obje-
cta sunt o-
jus attri-
buta.

gitor, eorumque vires pro libito auget, minuit, & extinguit.

4. Sanctitatem: omnis labecula expertem & incapacem, omnium virtutum perfectione consummatissimam: à qua omnis sanctitas promanat, & quantumvis eximia, si cum illa conferatur, nulla est; sed potius imperfectio est.

5. Bonitatem, quâ à se ipso bonus, imò ipsum Bonum, à quo habent cætera quòd sint bona, & cui comparata bona dicenda non sunt; quia nemo bonus, nisi solus Deus: & cui proinde omnis cæteris adhærere bonum est.

6. Majestatem, omni honore, reverentiâque, & adoratione dignissimam; coram qua curuantur, qui portant orbem; cujus unicus nutus omnium Regum terror est; & in quo, & propter quem, & excellentiam ab eo communicatam colitur quidquid veneratione dignum est.

7. Benignitatem, liberalitatem, benevolentiam, ac munificentiam; quâ velut bonorum omnium fons in res à se creatas inexplicabili gratiarum abundantiam continenter profluit, nullâ unquam profusione exhauriendus; quâ minima nostra obsequia, licet supremo jure sibi debita, infinitâ mercede compensat.

Adjunge his septem laudum titulis plures alios, quos per sacras

paginas sparfos invenies, neque unquam, si fieri potest, cum laudando satieris; cum hoc sis, quod potissimum illi debes; & quod totâ æternitate in cælis es redditurus. Imò suadeo, ut ad vota licet impossibilia transilias, optesque; cor tuum cælum Empyreum esse; in quo omnes beatorum omnium laudes sine interruptione personent; imò optes hujusmodi cordium milliones in tua esse potestate, quos in Dei laudibus indefinenter occupes: quæ etsi nunquam effectum sortitura probè scias, habent tamen suum apud Deum meritum, & præmium: præsertim si ab ingenti erga illum amore proficiantur: si enim tot odiorum & blasphemiarum milliones singulis momentis multiplicari optares, quot contra Deum à Dæmonibus & damnatis apud inferos proferuntur, grande proculdubio scelus admitteres; ingensque supplicium ob tantam Deo irrogatam injuriam promeritus esses. Ita à contrario de laudum votis, etsi impossibilibus, eorumque bonitate, & apud Deum gratiâ, & præmio existimandum est.

In Rege Davide, eximio Dei laudatore, vota quædam, & desideria laudum conspicimus, quæ etsi vires humanas excedant; hanc tamen habent gratiam, quòd ingentem erga Deum amorem, & gratum

26.
Et vota
etiam im-
possibilia,

27.
Qualia in
Davide,

gratum animum, & ad omnia devotum obsequia restentur. Invitat ipse res omnes creatas, ut ad Deum laudandum secum concurrant, & eas omnes, quasi divina Majestatis, potentiae, ac bonitatis preces intueretur; videtur ex omnibus harmoniam concentumque;

Psal. 144.

efficere velle, Dei laudes continuo personantem: nam, ut ait S. Augustinus, ista contextio creaturae, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nunquam interrupta, sed dissimilibus temperata laudat Deum: vox quaedam est mutae terrae, ipsa species terrae: mundum istum attende, decorem habet: hinc vivis in isto decore, in ista pulchritudine prope jam ineffabili; vivunt tecum & vermiculi, & mures, & omnia terrae reperta & serpentina omnia ista vivunt tecum in decore isto: quale decus regni, ubi tecum vivent non nisi Angeli? Haecenus Augustinus: idcirco S. Bernardus ad Deum laudandum transferebat se cogitatione in caelum, ut Angelis permistus laudaret Deum; aiebatque nihil æquè repræsentare statum beatorum habitantium in caelis, quam alacritatem hominum Deum laudantium in terris.

Serm. 21. in Cant.

V. DISSERTATIO.

De animi tranquillitate, & pace.

Pax nomen est amabile; multis est in desiderio, sed quia non queritur ut oportet, non obtinetur, & possidetur, ut obtineri & possideri potest. Intelligentia à suis aberrationibus coercenda, frænanda voluntas, appetitus uterque tam concupiscibilis, quam irascibilis sub rationis disciplinâ continendi; passiones affectionesque utriusque moderandae: amor, timor, gaudium, tristitia, spei, dissidentiaeque compedes injiciendae in diversa rapiantur, & omnia tumultibus misceant.

Primo itaque ab intellectu incipiendum, atque ut fidei ductum, lumenque constanter sequatur, nec aliò usquam aberrat committendum: in quo magnum homini compendium, & emolumentum accedit. 1. Enim actiones merendi vim, & efficaciam accipiunt: sine fide enim impossibile est placere Deo, aut aliquid apud illum gratiae, gloriaeque promereri. 2. Per illam intellectus captivus coram Deo in Sacrificium ducitur, ac ad instar victimae jugulatur. 3. Ejus opera, quidquid turbatum exoritur, facile componitur; praefertim

1. Pax animi obinetur si intellectus fide regatur.

Et dicitur 4.